

duabus validis natat, quae veluti hominis brachia cum omoplates articulis junguntur. Earum musculi quatuor robusti dorfi pectorique annexuntur. Hae in ventre sunt, ita sitae, ut non solum natatum, sed et motum, quo sursum se effert respirandi causa, adinvenit. In dorso quae est, aculeatam Plinius, et Pausanias faciunt, propter duritiam sine dubio. Nam rigidam satis esse Rondeletius testatur, duae quae in cauda, ex ejusdem lateribus, altera dextram, altera sinistram partem versus, ita ut cauda, quae lunata, aquam latitudine sua verberet. *Sextum* si attendas, pudenti in *foemina* orificio, ano vicinum est, ad terrestria animalia accedens, binas eadem, si Plinium sequimur, in ima alvo papillas tantum gerunt, nec evidentes, et paulo in obliquum porrectas. Aristoteles mammas prope genitale continere ait, papillas quadrupedum more conspicuas habere negat, sed velut alveolos quoddam humoris duos esse scribit, utroque de latere singularem, e quibus lac fluit, quod ore catulorum parentem sectantium excipitur. *Vulva* cervicem palmum unum longam habet, quae deinde in ramos duos, veluti in quadrupedibus terrenis, videre est, distribuitur. Testes ad uteri cornua, pudendum inter umbilicum et podicem gerit. *Mari* foramen quoddam in medio ventre appareat, e quo pudendum quadrupedibus simile exit, quod in congressu erigitur, et extra eminens profertur. Ideo forte Aristoteles genitale foris esse dixit, testes intus, qui secundum Plinium prolongi, ad alvum tecti. *Felle* omnino caret. *Locum* si spectes, nullum fere sine Delphinis mare; adeo ut et in Ponto, quem nulla piscibus inimica bellua ingreditur, reperiantur, et in Adriatico quamvis raro capiantur, sed et aquas dulces subit, et Nilum ipsum, ibique piscibus aliquandiu paucitur. Illos tamen non esse, quos Solinus ferratas cristas habere, Crocodicolos studii ad natandum elicere, demersosque astu fraudulentemente tenera ventrum subternatantes secare et interimere, scribit, facile mihi persuau-

deri patior, quod Marcellinus non Delphinos, sed Delphinis similes vocat. Accepit a Graecis qui circa Propontidem salitant Bellonius, eosdem instar aliorum piscium migrare, e mari mediterraneo videlicet Septentrionem versus, Hellespontum et Propontidem emetiri, Euxinum ingressos certo tempore immorari, tum denuo loca prius relicta repetere. *Cibus* Delphino pisces, in quos crudeliter grassatur, habetque Cephalos aves comites, quae ab eo occisorum sanguine pascuntur, ut Oppianus scribit. *Vita* satis longa, ad tricenos saepe annos producitur, forte quod felle careat. *Coitus* humano similis, illeque paulo quam piscium, qui attritu ventrums coeunt, diutinior. Aristoteles tamen caeterorum *Arist. H. A.* more congregri scribit. Gestat ute- *1.5. c. 5.*
ro decem mensibus, et singulos *Arist. H.* uno partu, interdum et binos edit. *A. 1.6. c. 13.* Parere aestate, nec ullo alio in vulgatis Plinii codicibus legimus. Rondeletius foetum vere aliquando extraxit, alteram foeminam Octobri dissecuit, inque ejus utero tum demum formari coeptum foetum inventit. Chorio amnio et allantido tunicis, is in utero involvitur, sanguine per venas umbilicales nutritur, et spiritum per easdem arterias recipit. Proles celeriter adolefecit, quippe quae annis decem ad sumam magnitudinem perveniat, ut tradit Aristoteles. *Pro voce* ipsis gemitus est humano similis, ut Plinius prodidit. Rondeletius stridorem edere scripsit, vocisque nonnihil. *Visum* habent acutissimum, ita ut piscem etiam sub lapide vel in caverna aliqua *Arist. H. A.* latitantem videant. *Omnium* tum *1.9. c. 48.* *terrestrium* tum aquatilium velocissimos Aristoteles dixit, ocyores volucres, ocyores telo. Nam cum fame concitati fugientem in vada ima piscem, diutius spatium continuere, ut *Plin. H. N.* arcu emissi ad respirandum, emicant; tantaque vi exiliunt, ut plerumque vela navium transvolent saltu. Perniciiei saepe causa ista velocitas. Nam aliquando, dum Mugiles persequuntur, nec incitatum cursum inhibere possunt, terrae impacti, praeda fiunt;